

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Wersja sandomierska

Rękopis Rosyjskiej Akademii Nauk w Sankt-Petersburgu, sygn. Ban. F 143, k. 130v–131r

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 55 [Gn. 53]

[55] Si<sup>a</sup> vulneratus vir ad iudicium decuctus fuerit in facto manifesto, et ita inbecillis et debilis fuerit, ut per tutorem ipsum querulari oportet et prolocutorem per sententiam petat, extunc tali modo sic procedat querimonia: “Domine iudex, si me vulnerato huic dedistis pro advocate, extunc in sententia requiro, si per iusticiam insidias aliquem pati debeam, aut sustinere, cum suam causam propter talis facti<sup>b</sup> exigenciam teneo.” Extunc sibi diffinitur, quod non. Extunc sibi petat correccionem. Cum obtinuerit, tunc petat colloquium pro consilio, et cum colloquium habuerit, tunc requirat, qualiter suam querelam inchoare debeat, et hoc per sentenciam diffinitivam, ut sibi proficiat in iure suo. Extunc diffinitur sibi cum clamore. Tunc interrogetur sentencialiter, si requiri debeat ab ore ad os, a quo suam habeat lesionem. Tunc sibi diffinitur, quod debeat. Extunc emittuntur duo scabini et cum ipsis preco, aut duo viri, qui iudicio astare consueverunt, qui ab ipso solo audiant, a quo receper[er]it vel habuerit suam lesionem, vel quis in eo pacis fregerit federa. Extunc requiritur sentencialiter, si interrogari debeat circa iuramentum prestitum aut ius civitatis, quid ab eo audierint. Tunc unus interrogetur ad dicendum, quid ab eo audierint. Audita sententia responsiva, tunc in sentencia requiratur, [k. 131r] si iam profecerit, deinde querelam incipiat: “Domine iudex, placeat attente audire.” Tunc hic conqueritur rebus super unum ·N· et Henricum, quod ipsi venerunt intra municipale, et pacem in eo infregerunt, et ipsum vulneraverunt aut suum affinem proximum trucidaverunt, si homicidium fuerit, et ipsum spoliaverunt corpore et rebus, pro eo iudicium petit. Extunc ter vocantur, quando citati per clamorem ter fuerint, tunc conqueratur ulterius et nominent malefactores, ut prius querulatum fuerat. Idem faciat tercja vice. Extunc inducie inducantur per noctem. Si tunc non conparent, proscribentur. Si autem conparent, duellum in eis acquiri potest.

<sup>a</sup> ozdobny inicjał S wysokości dwóch wersów; <sup>b</sup> jedno z możliwych rozwinięć abreviacji fa

[hasła: zranienie, sąd, wyrok, skarga, sędzia, sprawiedliwość, posiedzenie, ławnik, szkoda, przysięga, prawo, zabójstwo, kradzież, zranienie, otrucie, noc, pojedynek sądowy]